

DISSERTATIO GRADUALIS  
DE

# DOMINO SPIRITU,

II. CORINTH. III. v. 17.

QUAM,

Conf. Ampl. FAC. PHIL. Reg. Acad. Aboënsis,  
PRÆSIDE

# LAURENTIO O. LEFREN,

LL. OO. & Gr. PROFESS. Reg. & Ordin.

*Publicæ Bonorum censuræ*

SUBJICET

# ALEXANDER RAMSTADIUS,

Tavastensis, V. D. M.

DIE XIII Aprilis A. MDCCCLXXVIII.

H. P. M. S.

---

A B O Æ,

Impressit JOH. C. ERENCKELL, R. Acad. Typogr.

VIRO Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,  
D:NO JEREMIAE  
WALLENIO,

Ecclesiæ, quæ Deo in Birckala colligitur, Pastori & Præ-  
posito meritissimo, Patrono ac Notritio  
ætatem colendo.

Quum omnia beneficia gratum animum postulent, TUA  
in me gratissimum efflagitent, necesse est. Ea enim  
tot & tanta fuerunt, quot & quanta esse solent, que plu-  
rima sunt & maxima. Quumque præter animum gratissi-  
mum, nihil habeam, quod TIBI, Patrone optime, pro iis o-  
mnibus rependam, hunc TIBI nunc publice effero, & dum  
vixero offeram. Hujus vero muneris, ut præsentem levissi-  
mam dissertationem qualecunque signum esse patiaris, sub-  
missæ obsecro. De cætero pro TUA & Honestissimæ TUÆ  
Familia perenni felicitate nunquam desistam vota nuncupare  
calidissima ad ultimum vitæ balitum permanfurus

Admodum Reverendi atque Praeclarissimi Nominis Tui

Cultor humillimus

ALEXANDER RAMSTADIUS.

§. I.

Formulam loquendi Paulinam: *o dū uētū. tō orū.*  
*μᾱ īt̄*, quæ II. Cor. cap. III. com. XVII. le-  
gitur, varii varie interpretati sunt, sed ita ta-  
men omnes, quos quidem nobis cognoscere licuit,  
ut singuli fere aliquid habere videantur, quod offen-  
dat, nec satis apte cum contextu Apostoli, scopoque  
orationis conveniat. Unus SAM. CLARKIUS, qui  
in *Repley to the objection of ROBERT NELSEN*, p.  
192 seqq. sensum loci, teste JOH. CHR. WOLFIO  
in *Curis Phil. & Chrit.* ad. h. I. hoc modo *παραθεγί-*  
*ζη*: *Dominus vero est qui vivificat, a quo omnis illu-*  
*minatio dependet, tanquam a Domino qui sit Spiritus*  
*legis*, fere præter opinionem ad verum formulæ  
sensum certo inveniendum facem nobis prætolit.  
Verba enim ultima: *qui sit Spiritus legis*, quamvis ipsi  
tantum modo subsidiaria sint, nobis tamen apta vi-  
sa sunt, quæ primo ponantur loco, utpote quæ sen-  
sum Apostoli omnium simplicissime repræsentant.  
Vix enim ea oculis lustraveramus, cum idem fe-  
re nobis accideret, quod olim ARCHIMEDI, qui  
quam meditando frustra quæsiverat solutionem pro-  
blematis de modo, quo explorari posset fides fabri,  
quem suspicio vexabat adulteratæ massæ aureæ, ex

qua iussus fuerat coronam Regi Siculorum HERO-  
NI facere, eam casu inveniens exclamasse dicitur:  
*inveni, inveni!* Sed ne quid dissimu-  
lasse videamur, non pigebit paulo proprius expo-  
suisse occasionem, qua in eam allatae formulæ in-  
terpretationem, quam in sequentibus adstruere co-  
nabimur, incidimus. Scire itaque licet, quod eam  
nobis subministravit lectio dissertationis gradualis  
Carissimi Candidati D:ni If: Enebärg, de *Spiritu vi-*  
*ficante Joh.* Cap. VI. com. LXIII. quæ nuper pu-  
blicam lucem vidit. Nam cum ille inter alia etiam  
ad notiones vocum *πινειας* & *γειωνας* II. Co-  
rinth. Cap. III. com. VI provocasset, statim nobis  
incepsit curiositas cognoscendi, quam certo hoc ab  
eo factum esset. Totum igitur caput, qua potui-  
mus diligentia, perlegimus, excussum, pondera-  
vimus. Cumque nihil invenissemus, quod obstaret,  
quominus in ejus sententiam pedibus iremus, mi-  
ritum nobis videbatur, cur non æque allatam for-  
mulem in robur sui argumenti adduxisset. Rem igi-  
tur ad nostrum Præsidem deferebamus, judicium  
ipsius de invento nostro, qua pars erat observantia,  
expetentes. Cumque ille hunc formulæ sensum suo  
etiam calculo probasset, ab eo statim quærebamus,  
velletne permittere, ut suis sub auspiciis dissertatio-  
nem elaboraremus, qua hoc argumentum paulo dili-  
gentius expenderetur. Annuit, fecimus. Qua au-  
tem felicitate hoc in argomento versati fuerimus,  
judicium esto penes Lectores, quorum benivolent-  
iam nobis, qua decet observantia, expetimus.

## §. II.

Ea est indeoles Sacrarum Litterarum, ut quamvis in stilo magna inveniatur diversitas, ea tamen omnibus in partibus regnare deprehendatur concinnitas, ut quæcumque interpretatio aliquid habere reperiatur, quod affectionem sapiat, ea statim, ut subœrata, rejicienda videatur. Hoc incommodo laborare communiores loci hujus Paulini interpretationes, vel exinde constat, quod non defuerunt, qui, ut commodiorem invenirent, ipsa verba textus sollicitare sustinuerunt. Hoc ausus est GRAVEROLUS, Presbyter quondam Ecclesiæ Anglicanæ, qui, ut refert JO CLERICUS Biblioth. Univers Tom. IX. p. 203. seq. ita legendum esse censet; Ἀ δὲ κύεθος, τὸ πνεῦμα ἐστιν. Ἀ δὲ τὸ πνεῦμα κυρίος, εἰναι ἀπόδεσμος: ubi Dominus, ibi & spiritus est; ubi vero Spiritus Domini, ibi & libertas. Hanc suam conjecturam duabus in primis rationibus munire conatur. Harum altera est, quod omnium earum interpretationum, quæ aliis hactenus probatæ fuerunt, nulla tam commoda inveniatur, ut albo calculo digna haberri debeat. Altera vero, quod in MSS. CODD. non raro o pro *or* scriptum reperiatur. Sed *sensus est textus*, nec ulla eget medicina. Qui aliud nobis persuadebit, ei certe necesse est, Graverolanis graviora adferre argumenta. Illa enim, si æqua penitentur lance, nihil leviora invenientur. Omnes quidem priores loci interpretationes suis laborare incommodis, jam concessimus, sed quid inde sequitur? Non certe, quod is vult, *textum esse emendandum*, sed hoc tan-

tum, de alia nova interpretatione omnibus veteribus  
commodiore, salvo texu Græco, circumspiciendum esse.  
Donec hoc plane impossibile esse, non eviceris, nihil  
omnino ex præmissis viri docti sequitur. Eodem  
modo comparata est ratiuncula, quam loco secun-  
do adducit, quippe quæ ex puris putis particuli-  
bus argutatur, quod legibus Logicorum e diamet-  
tro repugnat. Si enim vel sexcenta adduceres lo-  
ca, in quibus simplex o pro composito *or* scriptum  
erit, idem tamen hoc loco factum esse, non lice-  
ret subsumere, quamdiu aliæ rationes id non postu-  
larent. Bene igitur observat Rever. WOLFIUS, con-  
trariam sententiam longe firmioribus niti rationi-  
bus, quatenus nullus eorum Codicum, quos circum-  
specta Eruditorum industria in medium adtulit,  
ipsius conjecturæ suffragatur, & quatenus in priori  
membro commatis non adparet adverbium *in*,  
quod in posteriori invenitur. Nam si vera esset  
conjectura angli nostri, sic scribere debuissest Paulus:  
*ou* *de* *κυριο*, *εν* *τη* *πεντα* *ετω*. Confer sis Matth.  
XIII. V. 20, ubi *εν* pariter apodosin inchoat. Exu-  
lat quidem, fateor, Rom. v. 20. sed ibi subintelligi,  
tam evidens est, ut nemo homo negare possit. Præ-  
terea cum omnes Codices *ou* expressum legant in  
posteriori membro, & ne unus quidem id habeat  
in priori, prope vesanum esset statuere, universos li-  
brarios in hoc, nullum in illo loco dormitasse. Quid?  
quod medicina Graverolana ipso morbo deterior  
sit. Adeo enim inficetum parit sensum, ut Paulo  
prositus videatur indignus. Hæc enim sententia,

nostro quidem judicio, æque puerilis videtur, ac si dicere velles: *ubi vivus, ibi quoque vita est.* Quis hoc non novit absque monitore? Et num ad hoc discendum opus est magistro Apostolo? Nulla igitur idonea adest ratio, cur textum Græcum hujus oraculi aliter legamus, quam in omnibus, quæ ad nostram pervenerunt notitiam, legitur exemplaribus.

### §. III.

His igitur præmissis, ad rem ipsam progrederetur. Quum duo hic occurrant nomina *oὐεῖς* & *πνεῦμα*, & utrumque sibi præfixum habeat articulum, prima est quæstio, utrum subjecti, & utrum prædicati locum, ex mente Apostoli, tueatur? Plerique interpretum, ordinem naturæ securi, illud pro subjecto, & hoc pro prædicato sumunt, in eoque tanto faciunt rectius, quanto melior sic prodit sententia, modo utrique vocabulo contextui commodam & congruam adsignaveris notionem. Hoc deinceps clarius ostendendum. Nunc paucis evincendum, prorsus falsam, verique vacuam esse hypothesisin WILH. WALL, qui in Not. Crit. super N. F. p. 210. hunc ordinem invertit, sic reddendum sciscens: *Spiritus vero est Dominus.* Totum vero contextum ita repræsentat: *ubi populus ad Dominum conversus fuerit, velum illud auferetur, Jam Spiritus est Dominus:* quando igitur ad *Spiritum converteatur velum removebitur.* Hanc vero interpretationem a nexu argumentationis Paulinæ requiri existimat. Hoc vero se non pervidere, ingenue fatetur, qui eam adducit,

6

cit, Reverendus. J. C. WOLFIUS. Idem & nos fa-  
cimus. Certe non ad *Spiritum*, sed ad *Dominum* con-  
versionem fieri debere, diserte dicit Apostolus. Unde  
prono quasi alveo fluit, hunc interpretandi modum  
non minus contortum, quam obscurum inveniri, a-  
deoque auctori esse relinquendum. Clara & certa  
esse debet interpretatio, quæ cordatorum *Lectorum*  
adprobacionem inveniet, non tricis implicata, nec  
tenebris referta. Si modos loquendi *Scripturæ* sequi  
velimus, **SPIRITUM SANCTUM** potius sub persona  
*Doctoris & Ductoris*, quam *Domini* repræsentari in-  
veniemus. Contra **SALVATORI** proprie competit *ti-  
tulus Domini*, quia nos suo *iphus sangvine* redemit.  
Hinc ad Christum quoque converti proprie dicimur.  
Sed hæc hactenus.

#### §. IV.

Nunc ad eos progredimur, qui **Christum** qui-  
dem Dominum hic dici adgnoscunt, voce inque o nū-  
e@ loco subjecti positam, esse nobiscum consentiunt,  
sed in eo tamen dissentiant, quod vocem πνευμα<sup>a</sup> alio  
ac nos sensu sumendam sciscunt. Hi in varias ite-  
rum sententias abeunt. Alii enim *Divinam naturam*  
*salvatoris*, alii *Spiritum sanctum*, tertiam personam  
*Divinitatis*, alii *Evangelium*, alii vim tantum *Divinam*  
hoc nomine intelligunt, vix uno aut altero eum  
sequente sensum, quem nos, antequam eorum  
cognoveramus mentem, tanquam verissimum & pla-  
nissimum elegimus. De singulis his sententiis pau-  
ca observasse juvabit, priusquam ad nostram clarius  
expo-

exponendam & firmius demonstrandam accedamus.  
 Quam inepta sit prima harum sententiarum, qua  
~~τὸν πνεούσαν~~ naturam Christi Divinam significare præ-  
 sumitur, id vel ex ea constabit insolentia sermonis,  
 quæ cum aures offendet, cum loco definiti ipsam po-  
 fueris definitionem, dixerisque: *Dominus est Divina  
 Domini natura.* Nec proprius ab absurdo distare  
 invenies secundam sententiam, si eam pari modo  
 sic expresseris: *Christus est spiritus Sanctus.* Quis  
 Theologorum has ferre posset expositiones? Nonne  
 ex sententiis multo commodioribus & innocentio-  
 ribus enormes sæpe hæreses exculptæ fuerunt? sed  
 absit tamen, ut bonos autores in has suspiciones  
 adducamus! Satis erit nobis, si Lectores, ostendo  
 absurdo, has sententias deserere & nobiscum melio-  
 rem quærere velint. Neque tamen autores fueri-  
 mus, ut se tradant disciplinæ magni HUGONIS  
 GROTI, qui ~~τὸν πνεούσαν~~ hoc loco vim Divinam in-  
 terpretatus est. Scire enim licet, Christum Domi-  
 num nostrum esse personam Divinam. Et si vox vis  
 docto viro nihil aliud hic valebit, quam *Divina vir-  
 tute præditum ex usu orientalium*, quī posito abstra-  
 ctio pro concreto, adjectivum emphatice exprimere  
 solent, ut sensus sit: *Dominus noster potentissimus est,*  
 in thesi quidem verum, sed in hypothesi falsum di-  
 xit. Neque enim scopus Pauli hoc loco postulat,  
 ut doctrina de potentia Salvatoris extra controver-  
 siam ponatur. Hujus enim questionis ne minimum  
 quidem vestigium in contextu adpareat. Id potius  
 hoc loco disputatur, quo potissimum modo tolli  
 possit

possit crassum illud velum, quod animis iudeorum in-  
cumbebat, ab iisque verum legis sensum abscondebat? Propius ad verum hic accedunt, qui tò mènuæ Evangelium interpretantur. Quamvis enim dura, minusque apta videatur propositio: *Dominus est Evangelium*, ejusmodi tamen est, ut commoda, minusque operosa interpretatione juvari possit, quatenus Evangelium veris & vivis coloribus pingit Christum, a deo ut Christus ab Evangelio non alio differat modo, quam quo persona a pictura personæ differt. Harum enim utraque eodem nomine, per Metonymiam, ut omnibus notum est, insigniri solet.

## §. V.

His igitur sententiis rite expensis atque explatis, ad eam pervenimus, quæ sua se tum simplicitate, tum concinnitate nobis omnium maxime commendavit. Formulam igitur: ὁ δέ κύρος τὸ πνεῦμα, εἰν, nostro quidem animo sic licet παραφεάσω: *Quod anima est in homine, nimirum pars ejus essentialis, ea que & nobilissima & præstantissima, cuius beneficio corpus, quod sine ea nihil usi pondus iners esset, VIVIT, SPIRAT, SENTIT, AGIT, id in Scriptura veteris fœderis est Christus, quem nomine Domini jure veneramur, ex quo nos suo ipsius sanguine redemit, nobisque cruenta sua passione aditum ad æterna aperiit solatio, nullis unquam nec peccatis, nec eruminis turbanda.* Hunc loci sensum esse, ex antecedentibus & consequentibus deinceps demonstrare satagemus. In antecessum vero nunnulla de ipsis vocibus, κόρος &

& *meūua*, monere liceat. *Kvēo* scilicet in genere Eum denotat, qui summa auctoritate & potestate gaudet. Hinc idem quandoque valet, quod DEUS. Hoc sibi persvasum habuerunt nonnulli Imperatores Romani, qui tantæ auctoritatis nomen modestiæ caussa declinasse leguntur. De qua re videri possunt quæ WOLFIUS ad Act XXV. v. 26. adnotavit. De vero Deo id passim in Sacris Litteris prædicari, non opus est monere. Hoc vero loco potius respici videtur ad eam vocis notionem, qua posse forem significat vel rerum, vel personarum, quas hereditatis, emtionis, aliisque justis titulis ita in sua habet potestate, ut de iis pro arbitrio disponere possit. Atque ad hanc nos in nuper data paraphrasi respximus, altera non exclusa, qua Deum dicit, quandoquidem JESUS noster etiam Creator est. Joh. I. 3. Ebr. I. 2. Quod vero nos Salvatorem hic potissimum ex jure Redemtionis *κύρον*, Dominum, Paulo adpellatum esse diximus, id ex ipso didicimus contextu, unde satis constat, sermonem Apostolo esse de Novo Testamento, quatenus id jam quasi evolutum atque protractum erat ex obscuris illis involucris, in quibus inde a tempore Mosis involutum atque absconditum latuerat. Jam vero pars cultus Levitici potissima in sacrificiis consistebat. Hæc autem Christum patientem & morientem pro alienis peccatis potissimum adumbrabant. Quando igitur, ut mox visuri sumus, Eum adpellat *κύρον*, seu Dominum, qui hujusmodi in ceremoniis tanquam anima in corpore deliterat, evictum esse putamus, quod volumus.

## §. VI.

Jam quod ad prædicatum τὸ πνεῦμα adtinet, ejus notionem satis demonstratam dedit Dissertatio Enebārgiana, quam supra laudavimus, adeo ut nobis hic eo esse liceat brevioribus, quo evidentiora sunt argumenta, quæ ibi ex Philone & binis locis Pauli adducta sunt. Hæc enim nobis hic sumere liceat tanquam totidem verbis descripta.

Præterea ex aliis quoque non paucis dictis Scripturæ solide probari potest, institutis Mosaicis aliud quid significatum fuisse, præter id, quod externa Litera præ se ferre videatur.

Hoc extra controversiam ponunt varia vobula, quæ significatum quandam relativam involvunt. Quid? quod ipsa tum relata, tum correlata simul quandoque distinctis exprimi soleant nominibus. Sic quando ceremoniæ Leviticæ adpellantur *ombra*, *umbra*, expressa fit mentio σύμβολος, corporis, quod Christum denotat Col. II. 17 conf. Hæbr. VIII : 5. ubi οὐκτὼν ἵππος γενέσθω exstat, Huc pertinent nomenclaturæ συμβολῶν αἰγαλῶν, infirmium elementorum, Gal. IV. 9. τὰ συμβολὰ τὰ μόσχα Col. II. 20. συμβολῶν τὰ μόσχα, οὐ τὰ χειρὶς Col. II. 8. συμβολῶν πτωχῶν, elementorum egenorum. Gal. IV. 9. συμβολῶν τῆς αρχῆς τῶν λογίων τὰ δεῖς, elementorum initii oraculorum DEL. Ebr. 5. 12. item γεγματῶν, litterarum quarum mentio fit Rom. II: 27. 29. VII. 6. 2. Cor. III. 6. 7. Hæc enim omnes aut expresse, aut implicite relationem habent ad aliquid præstantius, quod aliud esse non potest, quam tremendum illud mysterium, quod externæ statutorum Mosai-

Mosaicorum litteræ suberat, jam vero non amplius tectum & velatum, sed retectum & revelatum erat ministerio Apostolorum, quos Salvator sua partim institutione familiari, partim revelatione peculiari adhoc idoneos reddidit, ut τὸ ἀληθῶν, verum, in lege Mosis perspicere & explicare possent. Hoc enim nomine in Pandectis Novi Fœderis passim venire solet id, quod sub umbris & figuris Veteris Fœderis latebat. Cumque hoc nihil esset aliud, quam ipse salvator, ejusque persona, officia, beneficia &c. mirum non est, quod Ille omni jure κατ' ἔξοχόν adpellari soleat ὁ ἀληθῶν, verus i. Joh. V: 20. unde etiam qui ad Novum Fœdus pertinebant ἀληθῶν περικυρταὶ dicuntur, Patrem cœlestem in πενταπάται ἀληθέα ado- raturi, hac epicrisi adjecta: Tales adoratores querit Pater Joh. IV. 6. Hinc Iesus dicitur πλήνες χάρετοι αἱ ἀληθεῖαι, plenus gratia & veritate Cap. I. 14 Quid ἀχίρεια hic sibi velit, clarius adparet ex com. 17. ubi gratia & veritas, quæ per Jesum venit, opposita est indoli legis Mosis, quatenus hæc ex typis & umbris, iisque perquam operosis & onerosis observatu constabant. Quare etiam ceremonias veteris Fœderis PETRO jugum audiunt, quod neque ipsi, neque eorum posteri ferre valuerunt. Act. XV. 10. Hinc prono qua- si alveo fluit, Jesum Christum esse spiritum legis. Quamvis enim externa littera cæcis Judæis aliud præcipere videretur, quam credere in Crucifixum, istamen est τὸν τόπον, finis legis Rom. X. 4. in eo que spirant & vivunt omnia, quæ Moses præcipit, & sine eo lex nihil nisi littera mortua est, quæ

sci cultores eo atroicus mortificat & condemnat, quo tenacius ei inhærent & quo operosius serviant.

### §. VII.

Unum adhuc restat, ut nostram nimirum interpretationem cum contextu Apostoli exacte convenire ostendamus. Huic officio eo brevius defungi cogimur, quo majori loci angustia premimur. Ab ovo tamen incipiendum est. Capite secundo commate ultimo manifesta occurrit oppositio doctrinæ Apostolorum & doctrinæ Exjudæorum istius temporis. Ilii enim verbum Divinum summa sinceritate adnunciat, hi vero illud tractabant more cauponantium, qui ut eo plus lucri reportent, vinum aqua diluunt & male insuper metiuntur. Hoc enim importat quæ ibi occurrit formula: *καπηλεύοντες τὸν Λόγον Θεοῦ*. Qua autem in re hæc eorum fraus constiterit, expresse docet Apostolus hujus tertii capituli, commate 6. sqq. uti *γέρματας* & *πνέυματας* oppositionem ita adornat, ut manifeste adpareat, illo intelligi sensum oppido obvium, quem ipsa Legis Littera præ se ferre videbatur, hoc vero sensum magis abstrusum, qui ipsa anima legis erat. Quid vero aliud sibi volebat tantus adparatus ceremoniarum Leviticarum, quam adumbrationem Sacrificii illius perfectissimi, quod ipse Dei filius aliquando facturus erat, suo ipsius corpore immolando? Quod vero Messianum Sacrificium sub umbris sacrificiorum Leviticorum latens, non animad-

madverterent Iudei, sola littera legis, tanquam corpore vita carente, contenti, id commate 15 singulari obdurationi eorum tribuendum docet, quam cum velo Mosis admodum scite comparat, non tam oculis, quam animis eorum incumbente: cumque hoc velum per Christum tolli adfirmasset, hanc addit rationem: κύρῳ τὸ πνεῦμα ἐστιν, scilicet τὸ καίνη διάγνωσις, veteris Fæderis, cuius supra mentionem fecerat. Nec huic interpretationi obstat, quod mox casu mutato, id πνεῦμα κυρίος dicit, quod ὁ κύρῳ τὸ πνεῦμα ἐστιν ante dixerat. Utriuspue enim formulæ eandem esse mentem, simile evincit exemplum, quod idem Apostolus alibi habat, nimirum Col. cap. II. com. 17. ubi τὸ δὲ σῶμα τὸ χειρὶς sine ulla controversia idem est, quod τὸ δὲ σῶμα ὁ χειρὶς.

S. D. G.



